
Simonis Pistorii Oppoliensis Silesii

Sacrorum Epigrammatum Octernio Secundus.

Nobilibus Genere et ingenio fratribus: Paulo, Stephano, & Iohanni Morstiniis: Magnifici & Egregii D. Christophori Morstin Philippoviensis Capitanei, filiis, dedicatus.

Ad Lectorem.

Hæc quoq; (parva mora est) comprensa volumine parvo
  Detineant aures, Lector amande, tuas.
Materies & digna cani est, & digna probari;
  Digna quoque a cunctis, est quia sacra, legi.
Quod si forte roges cur sacra Poëmata scribam?
  Scribere sacra jubet Jova, *profana vetat.*



GENEROSIS JUVENIBUS,

PAULO, STEPHANO, IOHANNI,

fratribus germanis, Morstiniis.

Salutem.

GRATITUDO & benevolentia non vulgaris Andreæ Moscorovii, juvenis nobilissimi, tantum effecit apud me, ut quamquam occupatus essem, tamen ad plura ejusdem generis, cujus jam extat primus ille octernio, conficienda Epigrammata Sacra me illico accingerem: Quod quia utcunque successit, nec placuit tamen sine nomine alicujus & ea in lucem edere, Vos occurristis mihi Adolescentes peregregii, corona Scholæ nostræ & spes amplissima Parentis præstantissimi, Generosi & Magnifici Domini CHRISTOPHORI Morstinii Philippoviensis Capitan: sub quorũ titulo ista quoq; in publicum emittere curarem; Non solùm ea de caussa, quòd ob Patris vestri singularem erga me favorem ac beneficentiam estis mihi carissimi, sed etiam quia eo jam loco estis & conditione, in hac vestra palæstra scholastica, ut non tantùm ad studium hoc poëticum, cui ut etiam aliquid temporis & operæ impendatis, autor vobis esse velim, sed ad alia quoque longe sublimiora idonei, & quodammodo naturâ comparati sitis. Memini enim: quales vos exhibueritis in proximo examine, & quã egregiũm specimen indolis, ingenii & judicii vestri ostenderitis, examinatore Scholæ vestræ Rectore D. Samuele Niececio, Viro cùm Philosopho, tum Theologo eximio: præsidentibus autem Ministris, Senioribus & Scholarchis, viris doctrinâ, gravitate & honore clarissimis. Conamini Juvenes opt: in iis, quibus à teneris dediti estis sedulò progredi studiis, insistite vestigiis Magnifici Genitoris vestri, de Ecclesia Iesu Christi jamdudum meritissimi, ut ipsius cum locum, tum partes in promovenda SS. veritate aliquando feliciter obire, & domui vestræ avitæ, in qua Veritas à multo tempore luxit, ornamento summo & decori esse possitis. Deus Pater vestra cœpta, ac incrementa egregia fortunet ad sui nominis immortalem gloriam. Valete. Ex agro Czarkoviano. 1. Decemb:

ANNO DOMINI 1609.

Simon Pistorius.



SACRORVM EPIGRAMMATVM Octernio Secundus Simonis Pistorii O.S.

PRæmium eorum qui CHRISTI gratiâ omnia sua relinquunt. Matt: 19.

EST ita; quâ nihil est propius, nihil arctius unquam,
Conjuge cum carâ, flebile discidium est.
Cum Patre, cum Gnatis, Notis, Patriaque, Domoque,
Et cum cognatis, flebile discidium.
Sed si non alia, at Christi te caussa coëgit
Vnica, suscipere hoc flebile discidium.
Mæsta tuas ideò penitùs ne cura medullas
Exedat; invenies plura volente Deo.
Primum illud Christi, quo non est dulcius usquam,
Fraternum verè dulce Sodalicium;
Fenore cum magno decus immortale deinde
Extremo invenies post tua fata die.
Qui tantùm ob Christum potuit præstare, beatus!
Cælica terrenis anteferendo bonis.

In Cœlo quærendus CHRISTUS. Matt: 24.

Quæris adhuc Christum, qui jam super æthere regnat,
Aut his, aut illis, false Propheta, locis?
Debet ab his terris, fidei contendere pennis
Altius, ad Christum qui penetrare velit.
Alta petunt Aquilæ, quibus & nos convenit esse
Mente pares; ut sint Corda cadaver ubi est.

ResurrectioCHRISTIvitææternæ argumentũ:Mat:28.

Marmoreâ Christus placidè tumulatus in Vrnâ
Triste lacer, ligni pensile nuper onus;

Æthereas quoniam surrexit Victor in oras,
Quam promsit vitam comprobat eße novam.
Quin ergò intrepidus tàm veri Iußa Magistri
Tùm facienda facis, tùm fugienda fugis;
Post fata, ut superas & tu revoceris in auras,
Spem quarum toties fecerat ille tibi?
Qui tua nunc sequimur vestigia, dictaque sancta,
Fisi promissis, numinibusque tuis,
Et nos restituas rigidis, ô magne, sepulchris,
Atque olim in Regnum ducito, Christe, tuum!

Tyrannis non impunis. Luc: 1.

Claruerat natalitiis, vitaque Iohannes,
Constanterque suo munere functus erat.
Et tamen hostili miserè truncatus ab ense,
Heu! cadit ante suum, Rege jubente diem.
Hac te Rex tutum credis ratione futurum!
Falleris, hac fieri non ratione potes.
Expectanda Tibi est parvo post tempore pœna,
Exitiosa tuis, exitiosa Tibi.

Securis ad radicem: Luc. 3,

Quærenti quid sit Resipiscere, verius ulli
Nil responderi, lucidius vé potest;
Eße, prius ductæ malè, quàm valedicere Vitæ,
Et verè ob culpas pænituiße suas;
Speque, metuque Dei, Doctoris postea Christi.
Ad normam mores composuiße suos;
Eße hostem Vitii, Virtutis & eße tenacem,
Implicitum sceleris nec magis eße luto.

Et si vis, verbis complectar ut omnia paucis;
Esse Mali metam, principiumque Boni.
Stultus & ingratus, quem cùm modò turpiter acti
Pœnitet, hoc iterum pòstmodò turpe facit,
Improbus est, nullo qui sensu tangitur unquam
Culpandi facti, quod facit usque, mali.
Nempè Deo Mundum plectente, peribit uterque;
Pulsus & ad Stygios ibit uterque lacus.
Ecce suam ad Robur non utile, Iova securim
Apponit: Mentem qui Resipiscit habet!

Bonus quis. Luc: 6.

In Fratrem quicunque pius, quicunque benignus
Esse solet, Patri proximus ille Deo est.
Degener est quicunque malus, quicunque molestus,
Acta sui temerè Fratris ubique notat.
Non est ille bonus, qui carpere novit, at ille,
Ingenuam mentem qui bonitate probat.

Perde omnia, & dabuntur tibi omnia. Mar: 10

Est ratio ditescendi notissima duplex.
Vt duplex hominum est conditione genus.
Pars hominum satagens ditescere, pluraque semper
Collectis cupiens accumulare bonis,
Divitias studio quærunt, & parta tuentur,
Non prosunt aliis, sed sibi cuncta locant.
Hæc ditescendi ratio est tritissima Mundo,
Plurimus hoc dives nunc studet esse modo.
Sed fallax ratio hæc, multisque exposta periclis,
Nec durant isto Commoda parta modo.

Namque aliquis vel fur rapiet, vel miles habebit,
Flamma vel hoc peßum, vel dabit unda rapax.
Cuncta vel absumens tempus, vel denique sola
Ærugo rerum Mors abolebit edax.
Altera pars hominum satagens ditescere contra
Et cupiens gazas amplificare suas.
Divitias studio vendunt, in eosque refundunt,
Aspera pauperies quos premit, atque fames.
Contenti parvo ipsi, aliis prodeße laborant,
Et quacunque queunt parte juvare, juvant.
Hæc ditescendi ratio tritissima; quamquam
Hoc rarus dives nunc studet eße modo.
Non hæc fur rapiet, non miles, flamma, nec unda,
Non teret ærugo, secula nulla prement.
Nam quò pertingit nihil horum, ad Cœlica sursum,
Quæ sic perduntur, Regna feruntur opes.
Hæc ditescendi ratio quàm mira! sed ille,
Qui jam ditescit hac ratione, sapit.

CHRISTUS vita fidelium. Luc: 7.

Quis dubitet Vitæ jus hunc & Mortis habere,
Funere qui raptos vivificare potest.
Felices tibi Christe fide quicunque cohærent,
Namque Tibi numquam deperiiße queunt!

Via Cœli quæ. Luc: 9.

Qui volet hinc posthac recto ducente venire
Tramite, quo Christus venit ad Astra prior;
Ille suam primùm Carnem crucifigat oportet,
Omnibus affectûs excrucietque modis.

Posteà fortunam sit mente paratus ad omnem,
Pro Christoque mori deputet esse decus.
Credat & ad normam sanorum denique vivat
Sermonum Christi; labe, doloque carens.
Hâc iter ad Cœlos; hic trames ad aurea Christum
Astra Ducem duxit; Cetera fraudis erunt.
Heu, quàm nunc isto videas incedere paucos
Tramite! quám multos devius error agit!

Constantia Iohannis Baptistæ. Ioh: 1.

Audacter responsa dedit Baptista, quis esset
Fortè à Legatis quando rogatus erat;
Se Regem non esse ipsum, Dominumvè professus,
Mancipium Christi sed magis esse sui.
Esse suum Munus mortales flumine solo
Tingere, sed Domini, Numine & igne, sui
Pectore quò similes habeamus & ore Ministros,
Da nobis tales, nam dare, Christe potes!

CHRISTUS vincens Tentatorem. Matt: 4.

Aggreditur Stygius nostrum Lupus ille Magistrum,
Quomodo non miseras aggrederetur Oves?
Et tamen Upilio sine cæde & sanguine noster,
Tartareum solo depulit ore Lupum.
Sic Ovis ancipiti Verbi mucrone revincta,
Non timet hostiles jam magis illa minas.

Zizania Matt: 13.

Vrendo quondam lolio infelice futuram
Dixisti messem, maxime Christe, tuam.

Messis adest, & iniqua seges maturat in ignem,
Peneque non triticum supprimit illa tuum.
Vt lolium exuras, & semen in horrea cogas,
Tolle revertendi, maxime Christe, moram.

Majestas CHRISTI. Mar: 9.

Ora gerit Christus Phœbéæ lampadis instar,
Vestimenta novâ candidiora nive.
Apparent socii Moses, & divus Elias,
Fortèque cum Christo mutua verba serunt.
At Petrus istius captus dulcedine vitæ,
Vatibus, & Christo figere tecta jubet.
Ah! quid Petre facis Christi deitatis imago,
Et tantùm vitæ sunt typus ista novæ!
Hæc jucunda tibi cum sint spectacula vivo,
Qualia post obitum, Petre, futura putas?

Frustra pugnatur cum Domino. Matt: 22.

Cur victi toties Pharisæi retia Christo
Nectitis? annè operam ludere sæpè juvat?
Dicite si quando Voto minùs auspice vestros
Elusit prudens Oedipus iste dolos?
Adversus Dominum nequicquam fraude, vel astu
Pugnatur; structos conspicit ille dolos.

Nihil occultum quod non reveletur. Luc: 12.

Quæ latuit Christi Doctrina tyrannide Papæ
Preßa diu, in lucem prodit aperta suam.
Quæ vix sunt homines ausi sibi dicere in aurem,
Nunc iterum volitant illa per ora Virûm.

Gratia Christe tibi, communem qui eminùs hostem,
Ne noceat, Verbi conficis ense tui.
Neu magis obsistat, jugulum pete fortiter ejus
Cominùs, impensé, maxime Christe, rogo.
Pastores clamate, suâ vos ægide Christus
Protegit! ira valet, viribus absque, nihil.

In sollicitos. Mar: 8.

Cur in deserto curis te conficis isto,
Et quereris vel edas unde, vel unde bibas!
Non moriêre fame, Christus sua Dicta sequutos,
Hîc quoque pascet ubi copia deêrit opum.

Frustra sine Deo. Luc: 1.

Congressæ pariter, Matronaque, Sacraque Virgo,
De magnis tactæ Numine rebus agunt.
Cedite Pontifices, Synodos qui cogitis absque
Numine; Difficile est hoc sine vera loqui.

Oratione & labore. Luc: 5.

Successus rerum qui gestit habere beatos,
Et timet in Cassum ne labor omnis eat.
Vrgeat ille Deum Votis ardentibus, atque
Mandati faciat Muneris acta sui.
Dura licet fuerint, certè labor omnia vincit
Improbus, æterno prospiciente Deo.

Deus peccatores non audit. Ioh: 9.

Multi multa petunt a Numine rebus in arctis,
Sed pauci referunt illa petita tamen.

Caussa est, quòd multi Vitiorum mole laborant,
Quùm sibi propitium Numen habere volunt.
Et rarum est fœdi quòd quis sit Criminis expers,
Quando sibi sancti Numinis orat opem.
Sancta DEUS mens est, sanctâ vult mente litari
Vota; fugant sanctum pectora fœda DEUM.
Incusare ergò noli pia Numina, sed Te,
Si, quæ vota facis, fluctus & aura ferunt;
Immò pœniteat potiùs Te, & puriter annos
Exige; sic voti postmodò compos eris.

CHRISTUS Animæ Medicus. Luc: 11.

Si quis habes aures, & non bibis auribus, osque
Si quis habes, illo nec potes ore loqui.
I, tibi quòd desit, Christo pete munus ab ipso,
Ille quit oranti munus utrumque dare.

DEO & Cæsari. Luc: 20.

Divisum Imperium est: Terrenum cessit in orbe
Cæsaribus; cessit Spirituale Deo.
Intima Sola Deo Cordis debentur; at ipsis
Cæsaribus, Mundus cetera quicquid habet.
Terminus hunc inter servetur semper utrumque:
Sunt sua danda Deo; Tu tua Cæsar habe.

Paralyticus sanatur: Mar: 2.

Dive quòd ægroto condonas Crimina Christe,
Argueris læsi Numinis esse reus.
Ast hinc est, Scribis quòd non agnoscitur istis,
Quale Iehova, tibi munus habere dedit.
Stulte, cui Satanæ, Terræque, Marisque potestas
Est data; qui Vitæ jura, necisque gerit;

An non ille potest peccata remittere cuiquam,
An non ille potest Omnia, dante Deo?
Qui dedit has Homini vires, dextramque potentem,
Quin potiùs summum fers super Astra Deum!

Vinitor. Ioh: 15. Ies: 5.

Qui Populus Iovæ perhibetur, sacra professus
Scripta, ipsius summi est Vinea grata Dei.
Vinitor hujus adest Deus ipsemet, intus & extra
Sollicitè curam providus hujus agens.
Vitibus ut lætis onerata, & palmitis auctu,
Proventu exhilaret uberiore Deum.
Heu mihi! Bacchèo pro munere, fortè labruscas,
Fœnoris expertes si ferimusque rubos:
Numinis orbatos curâ Nos justa manebit
Ira, premens culpam pœnaque dura comes!

Pseudoprophetæ. Matt: 7.

Præcipis à falsis, pie Christe, cavere Prophetis,
Cura sed, ô Miseros, nos movet illa parum.
Falsiloqui Vates regnant in Ovilibus ipsis,
Et loca sunt sævis omnia plena Lupis.
Nos sumus incauti, nulloque ardore notandi
Afficimur, quæ sint atra, vel atra minùs
Hoc est, hinc illó quòd circumducimr: æquè
Sicut arando levi, cannaque pulsa, Noto.
Aut igitur tu Christe Lupos ab Ovilibus arce,
Aut Ovibus dederis posse cavere tuis!

CHRISTI Lacrymæ. Luc: 19.

Prævidet interitum Christus, venturaque fata,
Gens Hebræa quibus deperitura fuit.

Prævidet, ac deflet securam flumine largo,
Namque illi noster non placet interitus.
Quis non inde tuum sincerum agnoscat amorem,
Aspiciens lacrymas, optime Christe, tuas?

DEUS faciet Vindictam electorũ suorum. Luc: 18.

Ne mox despera, quando vexaris ab hoste,
Rebus quando tuis insidiatur homo,
Perfer & obdura; cernens Deus omnia vindex,
Quo minimè reris tempore, mittet opem.
Vidi ego jactatum vario discrimine Iustum,
Et vidi ereptum postea pace frui.

Petra quis! Matt: 16.

Eße Dei Sobolem quicunque fatetur Iësum,
Hic Petrus dici cur mereatur habet.
Et veluti (si nostra licet componere sacris)
Tuta super Petrâ est ædificata Domus:
Sic quicunque Fide, solo fundamine Christo
Nititur, Infernas non timet ille minas.
Sis mihi fundamen divinæ, Christe, salutis,
Sic vi Tartareâ non superandus ero!

Epulo & Lazarus. Luc: 16.

Non habitus, vel opes, sed vanus damnat abusus,
Quo scatuit Lurco perditus ante Deum.
Non Res arcta, Sed in Iovam fiducia salvat,
Quâ fuit acceptus Lazarus ante Deum.
Vt fugiam luxum, nec me pauperrima frangat
Conditio, firmam da mihi, Christe, fidem.

Quis Dives Paupervè! Ibidem.

Dives opum, non est dives, si dives in istis
Est opibus, Mundus quas habet in precio.
Pauper inops rerum, haut pauper, si pauper in istis
Est rebus, Mundus quas cane pejus habet.
Ille sed est Dives verè, qui dives in illis
Divitiis, Christus quas dat habere Piis.
Hic etiam verè sic est & Pauper, Inopsque,
Qui Christi donis, muneribusque caret.
Ergò qui Dives, meritò vult dives haberi.
Qui Pauper meritò nolit & esse miser;
Sit Pius, & CHRISTUM Dominũ reverenter adoret,
Non eguisse sinit, sed beat ille suos.

Non est consilium adversus Dominum. Matt 2.

Sævit in Infantes (quid non furor impius audet?)
Herodes, postquam nil valuêre doli.
Et Christum mactare volens, stabilireque Regnum;
Sed res successum non habuêre suum.
Sublatis Pueris; Christus manet; improbus iste
Posteà crudeli morte Tyrannus obit.

Panis Vitæ CHRISTUS. Ioh: 6.

Esuriem metuens, mortali sanguine nate,
Ne miser æternâ conficiare fame,
I citus ad Christum; namque æthere missus ab alto
Secum vitales attulit ille cibos.
Neu dubites ratione ad eum tibi quâ sit eundum;
Non opus est pedibus, sed potes ire Fide.
Felix! qui Christum fidei pede venit ad ipsum,
Ejus vivificis perfruiturque cibis.

Non ille esuriem metuit, non perpetis Orci
Funera; cum Christo vivit, ovatque suo.

Vestis Nuptialis; Matt: 22.

Regali tædæ Cælestes Christus adumbrat
Delicias, Sponsæ quas parat ille suæ.
Huc propere Conviva veni, nec tardus in horas
Differ; habent magnæ maxima damna moræ.
Gratus & ut venias, fac sit tibi candida vestis,
Ejicieris enim Sordidus absque Fide.

Myriadis Talentorum Debitorum. Matt: 18,

Tu repetis centum numos; Tibi pronus in omnes,
Dimittit decies mille talenta Deus.
Quid facies, gratis quæ condonata fuerunt,
Si rursus vindex imputet illa tibi?
Heu mihi! lugebis serò tua damna, nec umq̃nam
Placatum infelix experiêre Deum.
In Fratrem asperior ne sim, pie Christe; sed idem
Tu delicta mihi cuncta remitte precor!

Pharisæus & Publicanus. Luc: 18,

In Templo duo Iustitiam petiêre; sed unus
Teste domum Christo justificatus abît.
Caußa, quòd hic supplex sese dejecit; at ille
Dotibus elatus prodiit ante Deum.
Aßequar ut veniam, nec viribis efferar ullis,
Da fastu vacuum Cor mihi, Christe rogo!



Hic est filius meus dilectus, in quo complacui.
Matt: 3. Mar: 1. Luc: 3. & 9. 2 Pet: 1.

Prisce vale Moses, veteresque valete Prophetæ,
Et vos Scriptores cetera Turba sacri;
Scribere queis Leges, promissaque parva Iehovæ,
Et fuit horrendas scribere cura minas.
Huic ego Doctori me soli consecro Christo,
Qui Patris Interpres est, & Imago sui;
A seclis arcana Dei qui pressa revelat,
Et docet ad cœli sidera, quâ sit iter.
Si fieri jubet ipse Deus, quando æthere rupto,
Dulcifluo tales intonat ore sonos:
FILIUS HIC MEUS EST IESUS, MEA MAXIMA CURA,
Cujus ME SEMPER MAXIMUS ARDOR EDIT.
Huic Vos Mortales Doctori trado regendos,
Huic parére omnes, & dare colla volo.
Quod si quis posthac ipsi parére recuset,
Non Ego, sed pœnæ caussa erit Ipse suæ.

Facere volens voluntatem Dei, Christum agnoscit. Ioh: 7.

Cur à tam paucis Christi Doctrina probetur,
Hæc visa est semper maxima caussa mihi;
Quæ delectetur Vitio, quia plurima Turba est,
Semper & id multos non sinit esse probos.
Hæc sanctos Christi mores doctrina requirit,
Et tantùm sanctis præmia constituit.

Christo Regi serviens, verè beatus. Ioh: 12.

Qui perterr[illegible]repis Regum famulantur in Aulis,
Se fortunatos jam satis esse putant.

Par aliis vitæ mortalis at exitus horum,
Infortunatos arguit eße satis.
Cùm sint mortales ipsi quoque; demere, Reges,
Haut alios mortis conditione queunt.
Sed quisquis Christo, Domino famulatur Olympi,
Aulicus & constans ipsius eße cluit.
Semper habet verè cur se putet eße beatum
Semper habet quare gaudia corde gerat.
Namque illi cùm sit Rex immortalis, & Ipse
Numquam, Rege sub hoc, interiiße potest.
Verùm aut fati exors vivet, victurus in ævum
Aut immortali corpore surget humo.
Nec satis hoc, sed in acceßam deductus in Aulam,
A summo capiet laudis aroma Deo.
O verè solos, & demto fine faustos,
Quos Christi famulos nunc juvat eße Ducis!

